

**www.e-rara.ch**

**Marsilii Ficini ... de religione christiana opus plane divinum et huic nostro  
seculo pernecessarium**

**Ficinus, Marsilius  
Guillard.**

**Parisiis, 1559**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 8004

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32312>

Capitulum XX.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE RELIGIONE

nione personæ sperare debes animum posse aliquâdo deo coniungi quadam operationis v-  
 nione, in qua summa beatitudo consistit. Desiderare quoque debes deo præ cæteris inhæ-  
 re, qui soli hominis animo corporique se prorsus infudit. Proinde, quia deus homini absque medio se cõiunxit, meminisse oportet nostram fœlicitatem in eo versari, vt deo absque medio hæreamus: & quia inter æquales amicitia est, dũ consideras deũ quodammodo se homini adæquasse, neque amicitiam dei erga te negare, neque tuam erga deum deserere debes. Desinant igitur iam desinant homines suæ diuinitati diffidere ob quam diffidentiam mortalibus seip-  
 sos immergunt. Reuereantur seipsums tanquam diuinos, sperentque se posse ad deum ascendere, quãdoquidẽ ad eos dignata est quodãmodo maiestas diuina descẽdere. Ament toto pectore deũ in quẽ transformentur, qui ob ingentem amorem se mirabiliter in hominẽ trãssormauit.

*Aduentus Christi ad peccati grauitatem leuandam  
 utilis fuit. Capitulum XX.*

**V**Ita corporis anima est: animæ vita Deus. Naturæ ordo exigit, vt corpus animæ, anima deo pareat. Iustitiæ ordo requirit, vt si a deo dissentit animus, talionis pœna dissentiat corpus ab anima, atque sensus à ratione. Rebel-  
 lauit a deo primi parētis animus, rebellauit corpus

pus ac sensus ab eo. Rebellio prima, peccatum fuit: secunda pœna quædam peccati fuit, atque peccatum, quoniam rationi derogauit & deo. Complexio affectioque rebellis, à primo quasi sapor quidam profluxit in omnes, qui inde quasi riuuli a fonte manarunt. Hoc originale vitium, est cæterorum malorum animæ corporisque origo: hoc volumina illa Hebræorum testificantur, quorū diuinitatem testificatur summa illorū præ cæteris antiquitas, consensio penè omnium, propagatio per vniuersum, duratio indefessa, concordia, maiestas, sobrietas, & miracula. Hinc illa magorū a Zoroastre descendentium opinio, omnia scilicet corporis mala à malis animæ proficisci, animaque curata, cætera mala vitari. Hoc Plato in Timeo quidem inuit, in Charmide verò declarat. Verum vt ad propositū reuertamur, rebellio eiusmodi quoniam infiniti Dei derogauit maiestati, mortales ad infinitam beatitudinem ineptissimos reddidit, neque dirigi nisi per infinitum deum poterant. Dirigendi tamen aliquando erant, ne frustra a deo fuissent ab initio ad beatitudinem ordinati. Per voluptatem commissum est peccatum, per contrariū voluptatis dolorem est purgandum. Peccauit semel omnis quodammodo humana natura in homine illo qui vicem gerebat omnium, pati similiter semel quodammodo debet omnis in aliquo, qui vicem quoque omnium gerat, qui longe magis cum Deo con-

fentiat, quàm ille diffenscrit. Omnium verò vicem, post Adā, solus ille gerere potuit, qui Deo penitus iunctus esset, omnium conditori. fuit igitur Deus simul & homo. Deus, ut omnes complecteretur, infinitamque posset culpam diluere. Homo, ut pati pro culpa posset, atque ut pateretur homo, quemadmodum peccauerat homo. Sic & illius hominis pœna meritumque vim aliquam habuit infinitam, in quantum reuera Deo iunctus erat infinito. Infinito autem quodammodo supplicio meritoque opus fuerat ad infinitam culpam penitus diluendam.

*Christus perfectum instructionis genus impleuit.*

*Capitalum XXI.*

**D**Iuina prouidentia nullum erga filios suos institutionis genus prætermittere voluit. Est autem institutio duplex, per doctrinam videlicet, & exemplum. Doctrina perfecta est, de qua iure dubitari non debet, qualis in solo deo esse cõceditur. Misit igitur pater deus ad homines præceptorẽ aliquẽ qui deus esset, ne de doctrina eius dubitare deceret: adde & qui esset homo, ut ipse omnia humana officia verè exequi posset, omnesque pro honesto deoque perferre labores, quo exẽplo homines perfectè instrueret ad virtutẽ. Opera enim multo magis quàm verba mouet, in disciplina præsertim morali, cuius finis proprius versatur in actione.

Esse